

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

61. Menstruum ex Plumbo rubeo Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

faturni (*phil.*) quam ejus spiritus despexit & reliquit pro sulphure pessimo : Operare duntaxat cum odore ejus ad congelandum mercurium, non tamen, ut faciunt fatui, sed ut philosophi, & habebis bonum opus valdè. *Phil. cap. 2. pag. 188.*

Totum compositum vocamus nostrum plumbum; qualitas splendoris à sole & luna provenit, atque in summa hæc sunt nostra menstrua, quibus corpora perfecta naturaliter calcinamus, sed nullum corpus immundum ingreditur, excepto uno, quod vulgariter vocatur à Philosophis *Leo viridis*, quod est medium conjungendi tincturas inter solem & lunam cum perfectione, uti Geber ipse testatur. *Libro 12. portar. pag. 12.* Ut patefaciam tibi hanc rem, scias per Deum, esse unam de illis, quæ sunt septem dierum (*planetarum*) & viliores earundem, ex cujus corpore elicitur sanguis artificialiter, & humor vaporosus, qui dicitur *sanguis viridis Leonis*, ex quo fit aqua, quæ dicitur *albumen ovi* & *aqua vitæ, roris maii*, & multis aliis nominibus, quæ ad evitandam prolixitatem nunc omittimus. *Phil. cap. 3. pag. 190.*

Methodus eliciendi sanguinem viridis Leonis ex plumbo calcinato vel minio philosophico sequens est.

61. Menstruum ex plumbo rubeo Riplei,

In Pupilla Alchym. pag. 303.

℞. **P**lumbi calcinati vel rubificati, sive minii optimi, hoc est, antimonii mineralis præparati quantum volueris, hæc videlicet ratione, ut quot habueris libras plumbi calcinati supradiæti, tot habeas lagenas aceti destillati: Huic affunde suprà dictum plumbum in magno vase terreo bene devitreato, deinde per spatium trium dierum fac, ut quotidie fortiter moveas baculo ligneo sexies aut septies in uno die, cooperi bene à pulvere & nullo modo apponatur igni, toto hoc tempore. Quo transacto separa per filtrum in aliud vas totum, quod clarum est & crystallinum fuerit, postea pone in patellam æneam
ad

ad ignem lentum, ut evaporet tota aqua phlegmatica; quo-
 usque relinquatur in fundo vasis oleum spissum valdè, quod per-
 mitte infrigidari. Quo facto fiet materia gummosa, ita, ut
 cultello scindi possit, hujus pone libras quatuor in cucurbitam
 vitream cum alembico, bene lutatâ juncturâ, cum pasta factâ
 ex squammis ferri, farina & clavis ovorum bene insimul con-
 tritis. Pone vas in furno arenæ, & non cum cineribus, & se-
 peliatur vas in arena, usque ad medium illius, & fac ut arena
 sit spissitudine duorum digitorum sub fundo vasis. Tunc ad-
 junge receptorium, sed non lutatum, quousque extraxeris om-
 nem aquam phlegmaticam igne lentissimo, quam aquam projice.
 Cum videbis fumum album apparere, tum luta recepto-
 rium, quod sit duorum pedum longitudinis. Quo extracto
 fortifica ignem, in quantum poteris, quem continuabis, quo-
 usque totum destillaveris, quod 12 horis extrahi poterit, atque
 sic recipies *sanguinem rubei leonis*, rubicundissimum instar san-
 guinis, qui est *Mercurius noster* & *Tinctura nostra* jam præpa-
 rata, ut effundatur super fermentum suum, hoc est, super cal-
 ces auri purissimi, &c. Cæterum si ad opus album uti volue-
 ris, tribus vicibus destillabis lento igne mercurium tuum, re-
 servando semper ad partem sæces in qualibet destillatione, &
 tunc habebis mercurium tuum albissimum instar lactis. Atque
 hoc est nostrum *Lac Virginis*, *Menstruum dealbatum*, & *Argen-
 tum vivum nostrum* philosophicè exuberatum.

Ex quo per circulationem fac oleum ex calcibus lunæ,
 & procede in omnibus, ut fecisti de mercurio rubeo su-
 per calces auri, & habebis elixir album, quod convertet
 quodlibet metallum in lunam perfectam. Oleum verò
 aureum perfici debet & temperari & bene uniri cum bal-
 samo artificiali, per modum circulationis, quousque ex
 eis fiat liquor aureus clarissimus, & resplendens, qui est
 verum aurum potabile, & Elixir vitæ magis pretio-
 sum ad corpora humana, quàm quævis alia medicina
 mundi.

*Simile menstruum Ripleus habet in sua Medulla philosophiæ
 chymicæ.*